



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

177. An Ecclesiæ parochiali non unitæ constitui possit parochus amovibilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



*Quaestio 176. Sub qua formula impetretur à sede Apostolica parochialis vacans, ob non servatam formam in ejus provisione praescriptam servari à Trid. & Pio V.*

**R**espondeo: Etsi non prohibeatur, quin & consultius fortè sit; non tamen opus est in supplicatione Papæ porrigendâ exprimere distinctè ac præcisè causam, propter quam, vel in quo forma dicta servata non fuerit, sed sufficit Pontificem in genere intellexisse istius formæ non observantiam, ut usus Dataria hæbet. Corrad. *loc. cit.* quin etiam n. 28. exhibet istiusmodi supplicæ formulæ. Requiritur tamen postmodum coram iudice Executore verificare defectum prædictæ formæ, qui primo & ad amissim erit verificandus per impetran-tem. Corrad. *cit. num.* 28. citans pro hac re decis. plures rotæ. Anchar. *conf.* 254. n. 3. Innoc. in c. *super his. de accus.* & alios *cit.* à Paris. *de resign.* l. 11. q. 14. num. 9.

*Quaestio 177. Num Ecclesia parochiali non unita constitui possit Parochus amovibiliter?*

**R**espondeo negativè, etiam non obstante consuetudine quacunque contrariâ. Corrad. l. 3. c. 9. n. 39. citans Gonz. *gl.* 5. §. 6. n. 60. & ab hoc relatam S. Congreg. declarationem *ad cit.* c. 18. *Trid. sess.* 24. ubi sic declaratum fuit in præsentatione communitatis alicujus, allegantis consuetudinem amovendi Rectorem; testaturq; ipse Corrad. n. 41. à Cardinal. conc. *Trid.* interpretibus sic responsum Cardinali Caraffæ Atchi Episc. Neapolit. 11. Aug. 1618, ut in parochiali Ecclesia S. Petri & Pauli nationis Græcorum ab ejusdem nationis hominibus nominetur parochus ad eorum nutum amovibilis, nullatenus ab Amplitudine Vestra illustriss. est permittendum, &c. Quin etiam videtur id verum, non obstante fundatione fundatoris laici sic statuentis; Nam in hoc, quod fundator non possit constituere, ut Rector præsentetur amovibilis ad nutum Patroni, teste Gonz. *loc. cit.* n. 6. inclinavit Rota in una *Toletana juris nominandi*, de 29. Novembr. 1585. coram Blanchetto; in parochialibus enim Ecclesiis difficile admitti consuevit (vel etiam, ut ait Corrad. l. 3. c. 1. n. 1. non debet admitti) manualitas; eò quod sicut matrimonium carnale ad tempus non contrahitur, ita nec spirituale. Corrad. *loc. cit.* n. 36. & 39. Nihilominus etsi de jure communitatis beneficii curati sit status perpetuitatis, non manualitatis; ut *Ægid. decis.* 203. Abb. in c. *constitutus. de elect.* n. 2. apud Corrad. n. 41. posse tamen hunc statum mutari 40. annis completis cum possessione, & statu manualitatis, insinuat Corrad. *ibid.* citans c. *cum de beneficio. de prob.* in 6. Franc. Gemin. *prob. ibidem.* Porro qualiter parochia unita Monasterio, Collegio, alterive beneficio provideri possint per Vicarios non perpetuos, vide *suprà* c. 2. q. 26. item C. de Luc. *ad Trid.* d. 9. n. 1.

*Quaestio 178. Num parochialis vacans, donec de illius Rectore provideatur, hodie dum adhuc possit interim ab Ordinario alicui dari in Commendam, nempe usque ad 6. menses, juxta c. nemo deinceps. de elect. in 6. c. commissa. eod. rit. & c. quanto. de divortio, in quibus duobus posterioribus capit. dicitur, quod Episcopus non possit commenda-*

*dam talem factam ad 6. menses prorogare iterum ad alios 6. menses, ne inde fiat fraus?*

**R**espondeo negativè: supra dicta enim jura hodie dum correctâ sunt per *Trid.* ut ipsa S. Congregatio declaravit his verbis: *commenda, que ad 6. menses in Ecclesiis curatis fieri poterant ab Ordinariis juxta c. nemo. de elect. in 6. amplius post Trid. locum non habent, cum debeat in iis deputari Vicarius ad formam c. 18. sess. 24. Corrad. l. 3. c. 3. n. 20. Garc. p. 4. c. 4. n. 15, quin & specialiter non poterit Parochialis dari in commendam illi, qui per examen magis idoneus judicatus fuerit & electus; interim, dum is bullas à Papa obtineat, uti nec is constitui potest tantisper in ea Vicarius; siquidem habitâ notitiâ vacantis Parochiæ mox debet in ea constitui Vicarius, adeoque non expectandum tempus, quo dignior nominetur isti Ecclesiæ præficiendus. Garc. p. 9. c. 2. n. 21. & 22. citans pro hoc declarationem apertam Cardinal. de anno 1593. ad Episcop. Placent. quam se in forma authentica vidisse testatur.*

*Quaestio 179. Quæ sit forma provisionis Ecclesiarum parochialium non unitarum monasterio, Collegio, &c.*

**R**espondeo, hanc formam fuisse præscribi à Trident. *sess.* 24. c. 18. quam dein ampliavit, seu magis declaravit Pius V. *constit.* 47. sub decreto annullativo provisionis, ubi dicta forma servata non est. Hujus formæ compendiosam expositionem & elucidationem dat C. de Luc. *de Paroch.* d. 37. per totum, qui eam amicorum suorum alicui provisò de Episcopatu instructionis loco submisit, dictorumque ibi breve compendium repetit ad *Trid.* d. 32. n. 2. his ferè verbis: Forma igitur est, ut secutâ vacatione in quocunque demum mense sive Papali & reservato, sive Ordinario nullâ habitâ temporis distinctione, vel etiam ratione præsentis; vel non præsentis; realis vel personalis affectionis alicujus Apostolicæ illic Ordinarius aut ejus Vicarius generalis Vicarium provisionalem, qui sacramenta ministret, aliasque functiones parochiales peragat, donec provisio sequatur, cum honesta congrua constituat. Dein quando Episcopo opportunum videbitur infra 6. vel respectivè 4. menses concursus indicat mediante affixo in Ecclesia parochiali, aliisque locis consuetis desuper edicto, in quo statuto termino decem dierum (aut plurium, modo non excedatur terminus dierum 20. prohibetur enim Episcopus in constit. Pii V. terminum ultra alios 10. dies prorogare) invitentur pro certo loco, die, horâ concurrere volentes ad subeundum examen coram Ordinario aut ejus Vicario, ab Examinatoribus synodalibus, hoc est, in ultima diocesana synodo (intellige verâ & formali, quæ est Congregatio legitima, quam facit Episcopus cum Clericis sibi subiectis in sua diocesi, ad tractandum de his, quæ curæ parochialibus incumbunt, & spectant ad reformationem, & bonum regimen Episcopatus. Henr. Bottæus *de synodo Episc.* p. 1. n. 3. & 5. apud Garc. p. 9. c. 2. n. 6. non verò ea, quæ fortè ad hunc solum effectum nominandi examinatores synodales fuisset congregata. Garc. *ibid.* n. 68.) ad hoc deputatis (ex quorum numero ad examinandum pro concursu ab Episcopo seligi & designari non possunt pauciores quàm tres) absque mixtura seu intervenu aliorum non synodalium, hoc est, unâ examinantium ferentiumque votum deci-